


MONU  
III





1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15



Disputationes quae hoc Volumine  
includuntur.

1. De Juribus Clericorum, Pr. J. H. Botticher, D. J. M.  
Schiltze.
2. de Jure nocendi alijs, Pr. H. Coccejus, D. J. W. Eper
3. de bonis ereptitijs, Pr. N. C. Lynker, D. R. S.
4. de pactis conjugum specialibus, jure Probatis et re-  
probatis, Pr. O. F. Golenius, D. J. C. Mejer.
5. Observaciones circa jura eleemosynarum et alia  
ram collectarum Ecclesiarum dicarum templa-  
rum et beularum, Pentecostalium etc. Pr. C. H.  
Hornius, D. C. Harack.
6. de emptione et ditione filij consangu non subsisten-  
te, Pr. H. de Guden, D. C. F. Hermannus.
7. de his, quae praepostere fiunt, Pr. H. Coccejus,  
D. J. L. Ebrele.
8. de Mora, Pr. H. Coccejus, D. G. A. Wejfel.
9. de Concursu plurium Jurisdictionum, in eodem loco,  
Pr. H. Coccejus, D. C. G. Durel.
10. de distinctione Donorum, Pr. H. Coccejus, D. J.  
Voss.
11. de Nom. curria postest. hinc et libe vindiciarum,  
Pr. A. Deetwerts à Thienen, D. H. Coccejus.
12. de Jure altitudinum in Imperio, Pr. H. Coccejus,  
D. C. G. Durel.
13. de Jure accrescendi inter verbis conjugum,  
Pr. H. Coccejus, D. J. E. Fran Gelder.
14. de Contractu Medici cum aegroto, Pr. J. Schultz,  
D. M. D. Laurenti.
15. de Testamentis conjugum reciprocis, Pr. S. F. Willenberg,  
D. J. G. Schmechky.

- 16. Actiones injuriam sacerdotum concernentes *H. al. von Injuren*  
*Procesen gegen Pödiges, Pr. J. G. Simon, & J. G.*  
*Gelkenreich.*
- 17. de Jure precum publicarum von öffentlichen Kirchengelobtern.  
*Pr. ~~H. Wilhelmus~~, & J. H. Bimer, & J. a*  
*Sallern.*
- 18. Capita quaedam juris Ecclesiastici controversi circa  
*modestiones, Parochianorum, et Dotuliam, Pr. C. H. Horn*
- 19. Positiones Juridicae usum Theorico-Practicam distin  
*tionis rerum in mobiles et immobiles concernen*  
*tes, Pr. J. G. Hertin, & E. Drains.*
- 20. de Prebenda equestri, *Pr. Leit Grundes, & J. G. Struv.*
- 21. de vario juris usu et abusu in Curis et Cancellarijs,  
*von Gebrauch und Misbrauch der Leichen in Cantz*  
*leyen und Rathhäusern, & M. Holtermann's*
- 22. de appellatione per saltum, *Pr. C. Wildvogel*
- 23. de Jure incerto ex dubia legum quibus ultimam  
*authoritate oriundo, Pr. M. H. Gribnerus, & A.*
- 24. de Legnis sub lege comisorina *Pr. J. Weber.*
- 25. Specimen parocemiarum historiarum, *Pr. J. Thom.*  
*J. Weber.*
- 26. de Fictionibus seu hominis quam juris, *Pr. P. Müller*
- 27. de his, quae circa praescriptionem moratoriam sal  
*to traduntur, Pr. J. H. Berger, & C. G. Pohle.*
- 28. de Oppugnationibus rerum imperij, *Pr. J. Strauchius*  
*Pr. L. A. Hamberger.*
- 29. Jus ac Regimen paritatis Christianae in causis ac  
*negotij civilibus, & Fritschius.*
- 30. de Beneficij sive hominidij per repemum attentati  
*in casu ubi mors non ipsa secuta poena capitali,*  
*Pr. H. Wagner, & C. G. Gottmann*

vide folium post Volumus

2.

*Q. D. B. V.*

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

**JURE NOCENDI  
ALIIS,**

Quam

Divinâ favente gratiâ

*Consensu Illustris Fictorum Ordinis*

SUB PRÆSIDIO

**DN. HENRICI COCCEJI,**

JURISCONSULTI SUMMI,

*AUGUSTI AC POTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ*

CONSILIARII INTIMI,

FACULT. JURIDICÆ ORDIN. & ANTECESS. PRIMARIJ,

AD HUNC ACTUM PRO-DECANI,

*Mecanatis ac Patroni sui colendi,*

D. Maji 1715. horis ante & pomeridianis,

Pro

SUMMIS IN UTROq; JURE HONORIBUS ac PRIVILEGIIS  
CONSEQVENDI,

Publico Examini submittit


**JOACHIMUS WILHELMUS Söper/**

Stargard. Pom.

Adv. Dicasterii Regii, quod Stargard. est Ordinarius.

FRANCOFURTI ad VIADRUM, Literis J. C. SCHWARTZII.





Q. D. E. N.  
DISERTATIO INAUGURALIS

JOHANNES WILHELMUS BERTHOLDI  
DE AETATE

THEOPHILUS

FACTUM IN

ANNO

JOHANNES WILHELMUS BERTHOLDI

ALII DISERTATIONIS

IN ACADEMIA





DUCE ET AUSPICE CHRISTO.

CAPUT I.

De Præcognitis circa jus nocendi aliis.

§. 1.



Inscribitur præsens Disputatio de JURE NOCENDI ALIIS. Vocabulū Juris variā acceptio. Vocabulum autem Juris hic loci describere, variasq; ejus significationes allegare, cum ex *L. penult. & ultim. ff. de f. & f.* satis notæ sint, supervacaneum censeo: Idque saltem moneo, me sensum vulgarem re-

tinere, quo omnis de Jure quæstio eo refertur, quid justum aut licitum sit.

§. 2.

Nocere aliquando pro obistere accipitur, ut in *L. 7. & 8. ff. de fact. & jur. Ignor.* variasque alias sortitur significationes, quas *Alber. de Ros. in dict. f. Civil. & Canon. sub verbo, Nocere,* exhibet. Mihi NOCERE idem significat, quod damnum inferre, quemadmodum his formulis, Jctus Ulpianus in *L. 1. §. 6. de Noxal. Action.* promiscuè utitur. Sed cum DA-

\* (4.) \*

*Damni di-* MNUM sit vel CULPABILE vel JURE PROBA-  
*visio.* TUM, *Brunnem. ad L. 1. ff. Si quadr. pauper. fec.* dum  
de Jure nocendi loquimur, nobis non est ser-  
mo de damno culpabili, ad cujus reparationem  
de Jure tenemur; sed de damno quod permittente  
lege fit, indeque nullam meretur pœnam, argum.  
*L. 4. C. ad Leg. Jul. de Adult.*

*Causa Effici-*  
*ens Juris no-*  
*cendi aliis.*

§. 3.  
Causa efficiens JURIS NOCENDI ALIIS, est  
partim JUS NATURÆ CONCESSIVUM, aut fa-  
cultas illa naturalis agendi, quod facere libet, qua-  
tenus non apparet à superiore ritè prohibita vel  
restricta. *Dn. Praeses Posit. ad Jus Gent. 2.* Nam ut  
quisque sibi quam alteri malit acquirere, quod ad  
usum vitæ humanæ pertinet, concessum est non  
repugnante naturâ: *Cic. off. L. 3. Cap. 5.* partim JUS  
GENTIUM ET CIV. ex quibus etiam aliquod JUS  
NOCENDI ALIIS derivatur, dum illius constitu-  
tio, & hujus inventa, ipsi modos & terminos præ-  
scripsere.

*Objectum*  
*Juris nocen-*  
*di aliis.*

§. 4.  
Objectum JURIS NOCENDI ALIIS, sunt o-  
mnes personæ, extra nosmet ipsos positæ, v. gr. re-  
spectu parentum, liberi: respectu conjugis, conjux:  
respectu contrahentium, hi cum quibus contrahi-  
mus.

*Descriptio*  
*Juris nocen-*  
*di aliis.*

§. 5.  
Ne etiam JURIS NOCENDI ALIIS, nobis de-  
sit descriptio, sic illud libet describere: Quod sit  
FACULTAS JURE CONCESSA, VI CUIUS,  
QVOD ALIIS INCOMMODUM EST, IIS ETI-  
AM INVITIS FACERE LICET. Itaque dum  
nata-



\* (5.) \*

natales Juris nocendi aliis, demonstravi, pedem  
moveo bono cum DEO ad Casus in quibus hoc se  
exerit.

## CAPUT II.

De Jure nocendi aliis circa molendi-  
norum, aggerum, puteorumq; ex-  
structionem, item læsionem arbo-  
rum, & deteriorationem ædium vi-  
cinarum.

§. I.

**C**ommunem esse DD. sententiam, quod liceat *De Exstruct.*  
univ. in flumine publico molendinum *molendini*  
ædificare, *Harpr. Instit. §. 3. de Acqu. R. D. n. II. in flumine*  
tradit. ut exinde vicinis molitoribus *publico.* damnum,  
hoc est, lucri cessatio oriatur, quod scilicet forte  
propter novum molendinum extructum, non habi-  
turi sint tantam aquarum, vel molendi causa ad-  
ventantium coviam quantam antea habuere. *dict.*

§. 2.

non satis tutum videtur, id ita gene- *Quomodo*  
ra afferere. Jure certè tantum in flumine *afferri §. 1*  
privatis ea concessa sunt agere, quæ ad u- *procedat, de*  
lur. Avii jure gentium pertinent, ut aquam hau- *quo.*  
rir, navigare, piscari, & quæ eo referuntur, ut  
navim alligare, retia siccare, &c. §. 2. §. 4. *de Rer.*  
*div. l. §. ff. eod. tit. l. un. pr. §. 1. & §. ult. ff. ut in flum. publ.*  
*navig. liceat.* quale non est molendini exstructio.  
Quin nec licita illa aliter fieri possunt, quam sub  
geminâ

geminâ limitatione; tum, ne aliquid fiat vel immittatur, quo aliter aqua fluat, ac priore ætate fluxit: *l. un. princ. & pass. ff. Ne quid in flumine publ.* tum ne quid in eo fiat, quo usus fluminis publicus & juris gentium deterior fiat. *l. un. princ. & pass. ff. de Rip. mun. l. 3. §. 1. l. 4. ff. Ne quid in loc. publ.* aded, ut ne ripæ quidem muniendæ jus regulariter cum incommodo accoleantium concedi possit. *d. l. un. §. 6. ff. Ne quid in flum. publ.*

§. 3.  
*Et in hoc* At reliqua, quæ sub usu fluminum communi  
*§. dicitur.* Jure gentium non continentur, planè in flumine publico fieri non possunt sine permissione Principis, vel ejus, qui regalia habet. *l. 2. l. ult. ff. de Flum. Herring. de Molend. qu. 16. n. 32. & seqq.* Ille verò vel non potest permittere, si cum præjudicio juris alii quæsiti conjunctum sit. *d. l. un. §. 6. & §. 7. in fin. ff. Ne quid in flum. publ.* vel nolle creditur cum incommodo alterius. *l. 2. §. 16. ff. Ne quid in loc. publ. l. 12. princ. de Reg. lig.* De eo ergo ex causâ cognoscendum est. *d. §. 6.* Ex quo & illud patet, molendini exstruendi licentiam esse restringendam, si ei, qui jam molendinum in flumine publico habet, commodum naturale, hoc est, copia ipsius aquæ ad impellendum molendinum necessariæ auferatur: *arg. L. 7. C. de Servit. & A.* quoniam alter jam jus quæsitum habet, indeque in pari causâ melior est conditio occupantis. *Mev. P. 4. D. 39. Brunnem. ad Cod. L. 7. de Servit. & A.*

§. 4.  
*De exstru-* Cum autem quilibet sit rerum suarum mode-  
*Etione mo-* rator atque arbiter, *L. 21. C. Mand.* multò magis li-  
*lendini in* cebit in flumine privato exstruere molendinum,  
*flumine pri-* ut  
*vato.*

ut per aquæ detentionem, vicini molendinum  
 sentiat damnum. *Mev. dl. Quod etiam verum, si pati-*  
*ente me vicinus aliquamdiu usus sit meâ aquâ. Brun-*  
*nem, ad ff. L. 26. de damno infer. n. 2.* Hoc tamen non  
 procedit. (1.) Si quis in fluvio vel fûndo privato ad *Limitaz.*  
 æmulationē exstruat, dâßer es ihm zum Possen thut;  
 tunc enim exstructio novi molendini malitia foret,  
 cui non indulgendum. *L. 38. de R. V. Carpz. P. 2 C. 41. n. 4.*  
 (2.) Si statuto vel consuetudine reperiatur illa li-  
 bertas coarctata; cujus statuti observatio cum con-  
 tra commune Jus sit, ab allegante est probanda. *Mev.*  
*P. 9. B. 72. n. 4. & 6.* (3.) Si Dominus superioris simul  
 sit locator Inferioris, tunc enim impeditur hæc fa-  
 cultas aquam minuendi, quandoquidem locator te-  
 netur ad præstandum, ut re locatâ frui liceat, nisi a-  
 ctione locati velit conveniri. *L. 15. ff. loc.* (4.) Si Do-  
 mino inferioris in fundo superioris constituta sit fer-  
 vitas, & inde ea deterior reddatur, cum pacta dent  
 legem contractui.

## S. 5.

Pari ratione aggerem in suo agro faciendi, fos- *De aggeris*  
 sasque ad avertendam vim fluminis fodiendi, liber- *exstructio.*  
 tatē omnibus patere, constat ex *L. 1. C. de Alluv. l. 1. S. 1. ff.*  
*de Rip. mun. Mev. P. 8. D. 230. n. 4.* ut ut nullū opus hæc ten-  
 ibi fuerit, & in cursu, commoditatibusque aquarum,  
 semper vetustas sit custodienda; *L. 7. C. de Servit. & Ag.*  
 vel agger nocivus vicinis deprehendatur. *Præl. Mev.*  
*d. l. n. 5. & seqq.*

## S. 6.

Verum & hic varia ut casuum, ita jurium est *Circa quam*  
 ratio ac differentia. Arcere enim fluvium vel *Jus variat,*  
 torrentem licet, ne influat, etsi eo facto vicinis nocere *pro diversita-*  
 atur; *te casuum.*

atur; Dummodo id vicinus non faciat, animo aliis nocēdi, sed ne sibi noceat. *l. 2. §. pen. ff. de Aqv. & aq. pluv. arc.* Sed non licet prædii inferioris domino opus in suo facere, ne aqua superioris ad se defluat; Ea enim est servitus naturalis, quam inferius prædium naturâ debet superiori, ut aquam ejus pluviam excipiat. *l. 1. §. 13. & §. 27. & §. 23. ff. eod. tit. l. 20. §. 1. ff. de serv. rust.* At non potest superioris prædii Dominus in suo opus manu facere quo insolescat aquæ cursus, vel fluxus, & vel coarctata rapidius, vel laxata copiosius, quam naturâ soleret, fluat, vel aliàs magis noceat; *l. 1. §. 1. §. 15. & pass. ff. de Aqv. pluv. arc.* sed pati debet superior, ut opus in priorem formam restituatur, *l. 6. §. 6. l. 1. §. fin. & pass. eod. tit.* sive per exstructionem opus factum fuerit, sive per destructionem, etsi dissentiat Dom. Lauterb. *b. m. in Compend. ad d. tit. pag. 558.* Quin &, si nihil manu factum, sed vel ipsa vis fluminis rupto aggere concitior facta noceat, permisum est inferiori restituere aggerem in superiore prædio. *l. 2. §. 5. ff. eod. tit.* Et écontrario, si iter suum limo vel stercore obstruxerit, & superiori noceat, integrum ipsi est, purgare viam. *d. l. 2. §. 6.*

## §. 7.

Cœterùm semper excipitur opus agricolendi causâ factum, quod non facile impediendum. *l. 1. §. 3. §. 15. ff. de Aqv. & aq. pluv.* Colendi vero agri causâ factum accipere debemus, quicquid necesse est fieri, & sine quo serere aut arare non possumus, sive sint fossæ, sive sulci aquarii. *§. 9. b. l.* Excluditur hic iterum æmulatio, quæ colligitur ex actu exteriori injurioso, dolosé & injusté intentatô, in damnum proximi, sine ulla utilitate & necessitate agentis. *Zaf. ad ff.*

\* (9.) \*

*ff. de Aquâ & Aqu. plu. arcend. n. 5.* in dubio autem præsumor non ad æmulationem, sed ad utilitatem meam aliquid facere. *gl. ad §. 12. L. 24. de damn. inf.*

§. 8.

Huc quoque pertinet *L. 24. ff. de Damn. inf.* nam *De putei fossione.* secundum eam mihi permissum, puteum in meâ domo aperire etiam præcisâ venis vicini. Rationem exhibet *Zaf. ad ff. de Damn. inf. n. 19.* Limitatio hæc est, si tam altè fodiam in meo, ut paries vicini stare non possit; tunc enim damni infecti stipulatio committitur. *Brunn. ad hanc L. 24.*

§. 9.

Occurrit quoque *l. 1. L. 2. ff. de Arbor. cædend.* Nam *De arboribus cædendis.* etsi aliâs non licet arbores, quæ ex vicini fundo radices porrexerunt, recidere *L. 6. §. 2. ff. de Arbor. furt. cæs.* tamen *in d. l. 1.* cautum, quòd, si arbor ex vicini ædibus in meas ædes impendeat, possit peti, ut ista arbor tota extirperetur, ne fortè vel defluxum aquæ pluviæ impediât, vel fundamentis mearum ædium, vel aliâs noceat: Arbor igitur, quæ ex tuo impendet ædibus meis, radicibus extirpanda erit, & si monitus non recidas, mihi recidenti prohiberis vim facere. *Brunnem. ad d. l. 1. ff. de Arbor. ced.* Aliter se res habet in fundis, ubi arbor non excidenda, sed coercenda, ut interdicitur *in d. l. 1. §. 7.*

§. 10.

Regulariter unusquisque in suo ad cælum usque ædificandi, uti DD. loquuntur, habet potestatem, *L. 7. & 8. C. de Servit. & Aqu.* licet tertio noceat. *L. 9. de Servit. Urb. præd.* sed cû non raro vicini, vel auri sacra fame, vel temeritate impulsî, soleant

B

leant

leant ædificando aliis obesse, leges omnia ad injuriam tendentia prohibuere. *L. 3. ff. de Oper. publ.* Ea libertas altius tollendi cessat (1) Si servitus constituta, ne altius tollatur. (2) Si ventus ad fecerendam frumenti paleam necessarius, impediatur, sicque domino inutilis reddatur area. *L. 18. §. 1. C. de Servit. & Aqu.* tunc enim potest prohiberi ædificans. *Glos. ad d. l.* quæ tamen cum vulgò DD. eo aberrat, quod servitutum ibi statuatur, ne altius tollere liceat; cum tamen prohibitio legis non tollat libertatem, sed ponat: nec servitutum in prædiis faciat, sed libertatem comuni lege restringat: quod non est servitus. *arg. l. 4. pr. ff. de Statu hom. ibi: nisi quid jure prohibeatur.* Sed, si vicinus, in cujus favorem hoc sancitum est, ei renunciatur, & vicino ædificare permittat, manifestum id jam exemplum est servitutis altius tollendi, cujus speciem DD. tam anxie quærunt. (3.) Si statuto aliter dispositum; *Mev. ad Jus Lubec. L. 111. art. 7. n. 24.* quo loco simul exhibet, quemadmodum intelligenda verba *d. Art. 7. Jur. Lubec.* Wer bauen will / der soll also sein Gebäude anstellen / daß er seinem Nachbar nicht zu nahe oder Schaden baue: Confer. etiam de alt. tollend. materia *Gail. l. 2. observ. 9.*

## §. II.

*Destitutio  
ædium vicinorum,  
propter incendium.*

Huc etiam spectat quæstio: An vicini ædes intercidens incendii à suis avertendi causâ, tenentur ad damnum refarciendum? Et varia quæstio est: (1.) An ex *L. Aquil.* agi possit, cujus ultra simplum præstatio est? (2.) An ex interdicto, quod vi aut clam? Resp. Legis Aquilæ actionem plane cessare, quia non fit injuriæ, sed defensionis causâ,

\* (II.) \*

causâ, quæ licita est *L. 7. §. 4. ff. Quod vi aut clam. Sed* ex memorato Interd. in simplum agi potest, si ignis eò nondum pervenerit, quia, etsi defendendarum ædium suarum causâ faciat, tamen non debuit vi aut clam facere; adeoque incidit in id Interdictũ. *d. l. 7. §. 4. vers. Si tamen.* Quod si verò ignis ædes jam corripuit, nec *Lege Aquiliâ*, nec interdicto agi potest, quia eo factò damnum non intelligitur datum, probabiliter *ædibus igne æque perituris*, uti nervosissimè id decidit *Jctus in d. §. 4. add. Zes. ff. ad L. Aquil. n. 16.*

### CAPUT III.

#### De Jure nocendi aliis inter contrahentes.

§. I.

**A**xioma illud juridicum, in contractibus naturâ *In Contractibus contrahentibus* licere contrahentibus se invicem circumvenire, *ex L. 16. §. 4. ff. de Min. lippis & tonforibus notum est, sed de sensu disceptatur, quem verò accurate evolvit Jctus in L. 22. §. fin. ff. Loc. cond. & restringit ad pretium emptionis; quod cum certum à Naturâ non sit, definitur voluntate contrahentium: qui de re suâ pro lubitu statuere, & alter rem suam magni æstimare, alter de sua pecunia parũ offerre possunt. Quo factò, cum pars quæque jure suo utatur, alteri injuriam non facit; *l. 55. ff. de Reg. Jur. l. 6. §. 1. ff. si quis om. caus. test.* etsi alter alterius æstimatione nimiam vel oblatione exiguam, circumveniri se passus fuerit: id enim*

B 2

enim

enim sibi merito imputat. Nec alio sensu admittitur, quod quidam ajunt, vocabulum circumventionis negotiatiue accipi, ut denotet circumventionem re ipsa absq; fraudulentâ Machinatione, ex solertiâ vel Incuriâ Contrahentium contingentem *Harp.ad §. 1. de J. Emt. vend.*

§. 2.

Sed cum in Contractibus de MATERIA JURIS NOCENDI ALIIS differendi latisimus mihi se offerat campus, obiter mentione factâ eorum, in quibus ab una parte culpa intervenit, ut in SCTo Macedonian. quod in odium improbi foeneratoris Macedonis, parentum, & reipublicæ causâ, introductum, & quo constitutum est, ut creditoribus luxûs instrumenta, sive remota sive proxima, juventuti subministrantibus, solutionem & pater & filius denegare possint, §. 7. *J. quod cum eo, qui in al. pot. d. gredior in*

*De SCTo Macedonian.*

§. 3.

*Comodans* Ad contractum realem commodati : Quo in *quomodo jure* contractu comodans impunè nocet commo- *noceat Com-* datario, rem commodatam nondum finito usu revo- *modatario.* cando, si inopinata superveniat necessitas commodâti, ut damnum passurus sit re statim non restitutâ. *arg. L. 3. C. Loc.* His enim negotiis æquum visum est applicare clausulam: *Rebus sic stantibus*: ne dominus superveniente casu, quem non providit, & quem si fuisset, teneatur vel usu rei suæ necessario carere, vel damnum ejus pati, ut in casibus *d. l. 3. de quibus inf. §. 8. Conf. Disp. D. Præs. de Claus. Reb. sic stant. cap. 6. §. 3. & seq.* Nec evitare potest commodatarius hanc in tempestivè institutam revocationem, nisi magnas, usum rei com-

*Comodans quomodo jure noceat Com-modatario.*

*arg. L. 3. C. Loc.*

*§. 8. Conf. Disp. D. Præs. de Claus. Reb. sic stant. cap. 6. §. 3. & seq.*



comodatae excedentes expensas fecerit, tunc enim gaudet jure retentionis, usque dum ipsi satis factum fuerit. *L. 18. §. 2. ff. Commod.*

§. 4.

Possunt etiam JURE SIBI NOCERE duo Rei *De duobus Reis stipulandi.* stipulandi, dum unus alterum praevinire & in sua personam actionem instituere potest, ut alteri Correo jus exigendi debitum pracludat. Idque fit per litem contestationem, perquam Jus correi consumitur. Ita cum mihi duo vendiderunt frumentum, & in solidum stipulati sunt pretium, si alter me prius conveniat, non possum me ita defendere, ut dicam, frumentum totum ad alterum pertinuisse, sed oportet pretium solvere auctori: Nec alteri communicare tenetur, quod exigit. *L. 16 ff. de duob. Reis. & ibi Brunem.*

§. 5.

Excipiunt vulgo, nisi socii sint, aut correi ex causa onerosa. Verum confundunt illi corream obligationem cum ejus causa. Illa enim mera cautio est, quae, uti omnis stipulatio seu cautio, necessario causam supponit. *arg. L. 2. §. 3. ff. de Doli mali exc.* qualis causa quoque est societas, mutuum, venditio &c. Igitur ex stipulatione correali quisque correat agit in solidum. Nec partem ejus alter, quasi ex negotiorum gestione, repetere potest: quia omnes correi ratione cautionis aequae principales sunt & quisque in ea suum, non alterius negotium gerit. Sed si socii sint, vel res communis mutuo data, aut vendita fuerit, ex alia causa, scilicet societatis, vel communionis, partem alter repetit. Si vero, quod mutuo datum vel venditum, non est commune Tibi & Titio correo tuo credendi, sed Titii proprium, adeoque hujus negotium principale sit, & Tu exigas, teneris

*Et si sint socii aut correi ex causa onerosa de quo*

teneris totum restituere Titio ex negotii gestu. Si verò Titius exigat, Tibi nulla adversus eum est actio; quia causa vel negotiū principale, cujus gratiā cautio correalis interposita fuit, non est commune, vel Tuum, sed solius Titii. Eademque ex opposito sunt in correis debendi. Quo non attento non potuerūt Dd rem expedire. *Conf. Diss. D. Praef. de Caut. Corr. §. 8. & seqq.*

§. 6.

§. 6. dicitur.

Neque verò ea tantum obtinent, si causa sit onerosa, ut volunt; sed & si sit lucrativa: Uti, si quis cum pluribus donare vellet, promittit omnibus, ut correis credendi, quilibet solus agere potest, sed accepti partem petet alter ex communione. *arg. l. 9. pr. ff. de Duob. Re.* Et ita pariter ex causā onerosā, v. g. si plures Architecti eandem mercedem pro operā communi sibi stipulentur; tunc enim societatis actio locū habet. *Struv. Synt. f. C. Exerc. 47. Thes. 28. Antelitis contestationem verò locus est gratificationi, cui solvere velit promittens. Hahn. ad Wesenb. de duob. Reis. n. 7.*

§. 7.

De Jure nocendi in Empr. vend.

Quod in Emptione venditione contrahentibus se circumvenire liceat, per *L. 16. §. 4. ff. de minor.* initio hujus capituli dictum. Hic saltem adjicimus, læsionem illam non debere esse immodicam. Nam si & enormis sit, competit ex *L. 2. C. de rescind. Vend.* actio ad restituendam rem, vel justum pretium supplendum. *Myns. Cent. 4. obs. 73.* Sed quid, si non addit enormis læsio, tamen magna existat? Certum quidem est, si dolus intercesserit, ex eo agi posse. *l. 5. in fin. C. de Dol. mal.* Si verò nullus appareat, sunt quidem, qui tra-

tradunt, ut ut ita deceptus in foro soli non habeat actionem, tamen, cum iniquitatem sapiat cum alterius jactura velle locupletari, *L. 14. ff. de Condit. indeb. coram judicio divino teneri illum qui laesit. Laes. ad ff. de dolo mal. Brunnem. ad L. 8. n. 3. et seqq.* Verum id non placet; & plane alienum à ratione, & secum pugnant videtur, de injuriâ idem quem teneri, quia jure suo utitur. Quemadmodum pari quoque errore idem de iis statuunt, qui debitorem, vel nimie credulum creditorem, habentes, illorum ignorantiam juris vel incuriam abutuntur, eosq; ob difficillimam, post biennium aut triginta dies non numeratam esse pecuniam, probationem, causâ cecidisse contendunt. *Brunnem. Proc. Civ. cap. 1. n. 9.* Enim verò penitus *ἀλογον* est, alterius ignorantiam vel incuriam alteri imputare; Et potius iniquissimum, lapso tempore, quod libitibus finiendis ob utilitatem publicam praescriptum est, alterum adhuc lites lege extinctas suscipere teneri.

## §. 8.

Emtioni venditioni proxima est **LOCATIO** *In locatione*  
**CONDUCTIO**, Personaeque in hoc Contractu sibi *Conductione.*  
 nocentes sunt **LOCATOR**, **CONDUCTOR**, & **SUCCESSOR SINGULARIS**. Locator potest ex certis  
 causis conductorem expellere, & officio Judicis co- *Locator nocere potest conduct.*  
 gere, ut ante exactum locationis tempus rem locatam restituat, ut nulla penes Conductorem sit culpa. Nimirum (1.) **OB REFECTIONEM NECES-**  
**SARIAM**, **NON VOLUNTARIAM** adium. *L. 25. ff. loc.* (2.) Si ipse locator praedii **URBANI** (nam in  
 locatione **RUSTICI** secus) ex necessitate superveniente post tempus contractus adibus indigeat. *Fab. ad C.*

*C. L. 4. T. 44. D. 51. Carp7. P. 3. D. 37. n. 6.* Quam sententiam extendunt DD. licet domus sit ampla & utriusque sufficiens, quia nemo tenetur stare in communione. *Brumm. ad L. 26. ff. de Serv. urb. præd.* (3.) Conductor potest expelli, si male in re locatâ versetur, vel civiliter, vel naturaliter, v. gr. fundum insigniter deteriorando, rusticos crudeliter tractando, *Mev. P. 2. D. 85. excipiendo meretrices. argum. L. 7. ff. de usu & habit.* (4.) Causa est, si pensionem debito tempore, regulariter in fine anni, non solvat: *Zes. ad ff. h. t. n. 37. 38.* ut ut biennium continuum non sit præterlapsû sed saltem in solvenda unius aâni pensione negligens fuerit. *arg. L. 3. C. h. t.* Licet pactum de non expellendo Conductorem in contractu locationis adjectum sit, quia semper hæc conditio subintelligitur, si pensionem debito tempore solverit. *Harpr. ad Instr. de locat. Cond. n. 72. 73. vid. plur. Mev. P. 7. D. 315. Fab. ad C. L. 4. tit. 42. D. 44.* nisi ex justa causa, v. gr. ratione impensarum, retinuerit mercedem. *Mev. P. 2. D. 87.*

## §. 9.

Conductor  
poteſt nocere  
locatori in  
ſequentibus  
caſibus.

Conductor nondum finito locationis tempore, invito locatore discedere potest (1.) Si aedes ruinas minentur. (2) Domus tetris imaginibus nocturnisque illusionibus & tumultibus inquietetur. (3.) Ob pestem grassantem, ob incursionem hostium: *Harp. pr. ff. locat. conduct. n. 82. & seqq.* breviter, si justa causa fuerit, cur periculum timeret, licet verum periculum non adfuisset. *l. 27. §. 1. ff. loc. cond.* Et, si culpa locatoris ejusmodi causæ eveniant, locator etiam conductori tenetur ad id quod interest: si vero casu, operantur saltem remissionem locarii, vel totalem vel partialem. *l. 30. ff. pr. de locat. cond. Mev. P. 2. D. 47.*

## §. 10.

SINGULARIS SUCCESSOR non est obligatus *Singularis*  
 ut seruet locationem ab antecessore factam. Uti *Successor*  
 videre est (1) in emptore, juxta vulgatum Germa- *potest nocere*  
 norum dictum, *Kauff bricht Miethe.* *L. 9. C. de loc. cond. conductori.*  
 modo tantum temporis spatium concedatur condu-  
 ctori, ut res suas a vehere possit. *Meo. P. 5. D. 339.* (2) I-  
 dem est in legatario. *L. 120. ff. de Leg.* (3) In vero Do-  
 mino rei conductæ, quando ipsi res est cum bonæ  
 fid. possessore. *d. L. 9. C. h. t.* (4.) In uxore post divor-  
 tium vel mortem mariti, quæ non potest cogi, ut  
 stet locationi à marito factæ. *Harp. §. 6. ff. de Loc. Cond.*  
*n. 11.* (5.) In Venditore, qui redimit rem ex pacto  
 de retrovendendo. *Zæf. ad ff. de retractu cond. n. 24.* Sed  
 cum locator ejusque hæredes evenientibus his casi-  
 bus conductori teneantur ad id quod interest, in quo  
 & lucri cessantis habeatur ratio, *L. 30. 32. 33. ff. tit. de Lo-*  
*cat. cond. Carpz. P. 2. C. 37. D. 2. 3. 4.* sicque conductor in-  
 demnis maneat, per se patet damnum conductoris  
 hinc in casibus contingere per accidens, cum faci-  
 le fieri possit, ut inopia Locatoris ejusque hæredum  
 irrita faciat actionem ex regressu conductoris. *Remedium*  
 rum ad hanc emigrandi necessitatem evitandam *competens cõ-*  
 cautus conductor hypothecam, etiã adjecto pacto de *ductori cõtra*  
 non alienando, sibi stipulari potest: tunc enim empto- *Intentionem*  
 re potior est. *Carpz. d. l. D. 4. n. 5.* quin pacti hujus *Singularis*  
 vis est, ut impediatur alienationem. *L. 7. §. ult. ff. de*  
*dist. pign.* Alias hætenus saltem tutus est conductor,  
 ut, si novus Dominus eum expellere velit, jus su-  
 um hypothecæ, quod cum re transit, opponere possit.  
*l. 18. §. 2. ff. de Pign. act. L. 12. ff. qv. mod. p. solv.*

*Jus nocendi  
domini dire-  
cti, Emphy-  
teutæ.*

Imperator in §. 3. *Tit. de Locat. Conduct.* Emphy-  
teusos mentionem facit, in quâ, an etiam JUS NO-  
CENDI locum habeat, videndum. Et habere cer-  
tum est. Privare enim potest Dominus directus Em-  
phyteutam prædio emphyteutico, sequentibus ferè  
ex causis (1) Si emphyteuta rem dolo reddat deterio-  
rem. *Fab. ad C. L. 4. T. 43. D. § 2.* (2.) Si Canone in  
ecclesiastica Emphyteusi intra biennium, in secula-  
ri verò intra triennium non solvat. *L. 2. C. de f. Emphyt.*  
*L. ult. de loc. Cond.* (3.) Si non adhibito consensu Do-  
mini Emphyteusi alienaverit. *L. 3. inf. C. d. t.* (4.)  
Si scienter neget se esse Emphyteutam. *arg. §. Vasal-  
lus, 2. feud. 26. Harpr. §. 3. loc. cond.*

*Domini di-  
recti Vasallo  
& visversa.*

Ab Emphyteuta ad Vasallum regulariter va-  
let argumentum: *præl. Auth. d. l. n. 60.* & quemadmodum  
ille dicto jam modo prædio emphyteutico privari, sic  
& huic certis ex causis, quæ felonix audiunt, feudum  
adimi potest. Cum autem feloniarum magnus sit  
numerus, iisq; explicandis feudistæ, & inter eos *Struv.*  
*in Synt. Jur. feud. Cap. 11.* magnam navaverint operam,  
prolixitatem fugiens, eas hic recensere supersedeo.  
Id demum adjiciens, plerasque ex causis ingratitude-  
nis descendere; Quæ quidem jure Feudali definitæ  
non sunt, nec definiri possunt; sed Judex eas æstimat  
collatis causis, ex quibus filius ob Ingratitudinem  
exheredari, aut donatio inter vivos revocari possit.  
*Gail. Lib. 2. Obs. 157.* Etsi verò Dominus quoq; & Va-  
sallus pari Jure censeantur; *2. F. 6. in fin. Gail. d. l. 2. Obs.*  
*158.* tamen pares causæ non sunt; sed multo  
plures ex quibus feloniam in Vasallum, quam  
quibus in Dominum committitur. Quatenus verò  
reci-

reciproca ratio est, eadem causa, quæ an fam Dominò præbet agendi, ut careat VASALLUS utili domino, Vasallo quoq; proficiet ad agendum, ut DOMINUS amittat dominium directum; etsi speciale quid sit in alienatione domini directi; de quo vid. *Hypomn. feud. tit. 11. §. 22. Mynscen. 4. Obs 91. n. ult.* ubi & hæc differentia est, quod causa Vasallo noxiæ, ab ingratitude & perfidia manant; Domini verò, ab æquitate & pietate mutuâ. Quæ injustitiâ tanto prosequi videtur odi leges, ut, ne impunita maneat, Judicem quasi in propriâ causâ constituerint Vasallum, ipsique per-miserint, dominum, qui feudum malo ordine intra-vit, ipsiq; justitiam facere noluit, si per Pares curiæ, potentiam vel favorem Domini metuentes, suum re-cupere non possit, etiam impune deprædare. *Myns. d. loc in med per. 2. F. 22.* Quod tamen verum non est; nec di&. Textus agit de vi privatâ, sed, quæ Justo or-dine sit, ut *ex fin. d. 1. 12.* patet.

§. 13.

Huc etiam spectat quæstio: An dominus dire- *Domino di-*  
ctus, Vasallo, qui feudum amisit, gratiam facere, sic *recti, agnatis*  
que in præjudicium Agnatorum vel Usufructuarii *Vasalli & u-*  
castrî, pænam committam remittere possit? Et re- *sufructuarii.*  
spondemus affirmando, modo nondum privationem  
istam Dominus declaraverit, aut sententia condem-  
natoria nondum sit lata, postea enim ob jus quæsi-  
tum agnatis, aut usufructuario, hæc condemnatio  
& privatio feudi est necessitatis. *Struv. Syntagm. juris*  
*P. 1. C. 15. O. 8. n. 9.*

§. 14.

DEBITOR (1.) non obstante Actione Pau- *Jus nocen-*  
liana in præjudicium creditorum hæreditatem sibi *di debitoris;*  
lici *creditori,*

licite delatam, & familia, repudiat, & quæ acquirere potuisset, omittit. *L. 6. ff. quæ in f. Cred. & Brunn. ad hanc legem.* Et frequenter, hoc in Marchiâ accidere testatur *Illustr. D. Stryck. de success. ab Int. p. m. 360. n. 41.* dum superstes maritus, saburrâ æris alieni oneratus, à defunctâ Conjuge sibi debitâ portione statutariâ, in favorem liberorum, & præjudicium creditorum, abstinet. Deniq; etiam (2.) Debitor creditori obesse potest, ipsi invito atque importuno tempore solvendo debitum in diem: hoc autem eum facere posse *ex L. 137. §. 2. ff. de verbor. Obl. & L. 10. ff. de solut. constat.* Nisi dies adjecta sit in favorem Creditoris, tunc enim dies expectâda est, ne Creditoris jus minuat. *Carpz. C. 28. D. 11. 12.* ubi etiam dissentientem allegat Cujacium.

*Creditoris  
Debitori.*

§. 15.

Multò verò frequentior est CREDITORI DEBITOREM vexandi occasio: dum non solum ad peram & sacco usq; eum excutere; *Harpr. f. §. 4. de s. dej.* sed etiam hodiè, ut in emporiis haud infrequenter fieri videmus, in carcerem detrudere potest, ut illius tadio, studioq; recuperandæ libertatis, quæ per hanc detentionem aliquantulum imminuitur, *L. 7. de Cond. & Dem. ff. eo majorem in conquirendis pecuniis adhibeat industriâ: Fab. ad C. Lib. 8. T. 30. Def. 16.* adeò, ut illū Judex, ne quidem si in gravissimum inciderit morbum, in vitis creditoribus exinde eximere possit. *Fab. ib.* In primis autem hic carcer locum habet, si debitor de fugâ sit suspectus, & judicis copia haberi non possit. *Gl. ad L. 10. §. 16. ff. quæ in fraud. Cred.* Imò permissum tunc est, si armatâ manu resistat debitor, eum occidere. *Gail. Lib. 2. Obs. 44. n. 3.*

§. 16.



Creditoribus quoq; aliquandò reliquorum credi- Concredito-  
ris, concredi-  
tori.  
torū jura imminuendi competit potestas. Prator enim  
Majoris partis Creditorum sequitur voluntatem, si  
dissentiant inter se de paciscendo cum debitore, vel  
parte debiti ipsi remittendā. *L. 8. ff. de Pact.* Distinguit  
tamen *L. 10. dict. Tit.* inter Creditores chirograph. &  
hypothecarios. De illis procedit, de his vero non,  
licet paciscentes ipsi Hypothecarii sint: *Carpz. p. 1. Const.*  
*2. Def. 27.* Quod & cautum est in *Edict. Cambiali art.*  
*44.* Sed Jure Lub. non obtinet. *Mev. ad Jus Lub. p. 3. tit. 1.*  
*art. 13. n. 12. et seqq.* Quodsi verò dilationem quinquen-  
nalem concefferint debitori, id impedit quoque Hy-  
pothecarios, quo minus durante dilatione debitorem  
persequi queant. *L. 8. qui bonis cedere possint Mev. dict. loc.*  
*Def. seq.* Major autem pars Creditorum hic non ex  
numero Personarum, sed ex summa ejus, quod cuiq;  
debetur, æstimatur. *L. 9. ff. de Pact.*

## CAPUT IV.

De Jure nocendi inter Personas con-  
junctas.

## §. I.

**I**nclinatio naturalis regulariter eò fertur, ut no-  
strā operā quam prolixissimè iis velimus prospe-  
ctum, qui ex nobis descendunt, & juxta hos, san-  
guine nobis junctis. *Puff. de Jur. nat. L. 4. C. 11. S. 2.* Et  
sane regulariter hoc verum; Haud rarò enim fit, ut  
neces-

necessitate coacti, vel in pœnam eorum quos maxime aliàs florere optamus, vel spontè, officium illud prospiciendi commutemus in NOCENDI studium. Nam non desunt causæ, ex quib9 Personæ, inter quas natura consanguinitatem constituit, jure sibi NO-

*De Jure nocendi Parentum liberis.* CERERE queant. Inter quas personas PARENTES primas tenent, quorum JUS NOCENDI LIBERIS nunc in scenam prodit.

## §. 2

*Quod duplex s. Com-plex s. Commune, & consistit in eo, ut generaliter possint liberis facto suo præjudicare.*

Est verò hoc jus I. COMMUNE UTRIQUE PARENTUM, vel SINGULARE PATRI COMMUNE consistit in eo, ut generaliter liberis facto suo præjudicare possint. Sic (α) Quando parentes tanquam proximiores agnati consentiunt feudum vel rem Retractui obnoxiam alienanti, præjudicant suis descendentibus, aded ut illi, etiam Parentibus mortuis, feudum vel rem alienatam revocare non possint. *Myns. Cent. 1. Obs. 50. Zw. ff. de retract. Gentil. n. 53.* (β) Si parentes renunciaverint hæreditati nondum delatæ, unanimis est DD. conclusio, nepotes propter renunciationem istam a vo succedere non posse: *Harpr. Inst. P. 2. de Her. ab intest. n. 122. & seqq.* modo renunciantes supervixerint ei, cujus hæreditati renunciarunt. Nam si præmoriatur, ob tacitam, quæ inest huic renunciationi, conditionem delatæ hereditatis, secus erit. *Zw. ff. de pact. n. 42.* Sic (γ) Si se in servitutem ritè dederint parentes, hoc suo facto bonum inæstimabile libertatem scil. liberis nascituris, quam à naturam habuissent, §. 2. *Inst. de f. Pers.* adimunt: Liberi enim ex justis nuptiis procreati Patrem sequuntur, sed ex ancillâ nati sunt servi. *L. 19. ff. de Stat. hom. S. 4. f. de Jur. Pers.* Se verò in servitutem dedisse præsumitur quis in Pomeraniâ

meraniã, ob pactum quasi tacitum, si prædium rusti-  
canum indefinite susceperit, & intra 6. annos de li-  
bertate non protestatus fuerit, tunc enim una cum  
liberis in prædio natis domino istig prædii subjicitur.  
*Pommersche Bauer Ordnung de anno 1670. Tit. 3. S. 6.*

## §. 3.

Deinde hoc JUS NOCENDI in eò se exerit, quòd *Inaqualiter*  
non teneantur Parentes de bonis suis, quæ alias vive- *bona inter li-*  
tibus adhuc parentibus ad liberos pertinere dicun- *beros divide-*  
tur, *L. 11. p. de lib. & post. nec æqualem dotem dare Harp- re, & inaqua-*  
*ad J. S. 2. de Donat. n. 86.* neque æqualitatem distributi- *lem dorem*  
onis bonorum ad eò exactè observare; sed possunt u- *dare.*  
ni ex illis plusquam alteri relinquere: *L. 8. Cod. de inff. Test. in dubio tamen æqualitatem observare voluisse,*  
præsumuntur. *l. 30. ff. de coll. Puff de fur. nat. l. 4. Cap. 11. S. 8.*  
*Carpz. p. 3. l. 11. def. 12. n. 3.* Sed caveant parentes, ne hæc  
inæqualitas læsionem in legitima contineat; nam  
si hæc adsit, competit liberis querela inofficiosa do-  
tis, aut Testam. *L. un. Cod. de Inoff. Test. vel liberi ad sup-  
plementum agunt L. 30. & 36. dist. Tit.*

## §. 4.

Ipsam legitimam adimere permifere leges, *(a)* *Ipsam legi-*  
Militi, qui scienter præterire poterit liberos, si ve *timam ali-*  
tos, si ve Posthumos. *L. 12. ff. de bon. libert. L. 7. ff. de fur. mi- quando ad-*  
*lit. Brunnem. ad Cod. L. 10. de Testam. mil. Quod & hodie mere.*  
obinet. *Zaf. ff. de Testam. milit. n. 7. (β)* Etiam paganis  
Parentibus, ob causas in *Novel. 115. c. 3.* contentas: à  
quibus causas & majores & similes merito excludo;  
possunt liberos privare legitimã, dum imperator di-  
cit, se nominatim in *dist. Nov.* recensiturum causas  
exheredationis, ut ut dissentiat *Struv. Jurispr. forens. L.*  
*2. T. 17. Aphor. 5.* nisi vi ipsã sub expressis continentur.  
(γ) Si Parentes liberos, ære alieno gravatos, prætere-

un-

antes, instituant hæredes nepotes, ne forsan credito-  
res portionem hæreditariam auferant; Tunc enim  
testamentum subsistet, etiam si legitima titulo insti-  
tutionis liberis nõ sit relicta. *Carpz. P. 3. C. 9 Def. 11.* Quæ  
sententia etiam in dicafterio Pomeraniæ citerioris  
recepta, & ita iudicatum memini in causâ *des Sol-*  
*daten Græffen wieder seine Kinder* anno 1714. d. 15.  
May.

## §. 5.

*Vel Singula-  
re & consiste-  
bat olim (a)  
in iure vitæ  
& necis.*

SINGULARE JUS competit nocendi liberis,  
vi Patriæ potestatis, Patri. Sic (α) compete-  
bat olim (a) Patri jus vitæ atque necis in liberos. *L. ult. Cod. de Patr.  
potest.* Sed hoc jus vitæ atque necis merito sublatum,  
*L. un. C. de his, qui Parent. vel liber. occid.* & relicta  
quædam est honesta emandatio & castigatio. *L. un. Cod.  
de emend. Propinq.* Potest tamen Pater filium ino-  
bedientem magistratui offerre, qui pœnam à Patre  
præscriptam ipsi dictabit, vel in ergastulum eum  
dare poterit. *arg. L. 3. Cod. de Patr. potest.* (β) Erat quoq;  
(b) Potesta-  
te vendendi  
liberos. olim Patri libertas, in casu summæ necessitatis, libe-  
ros vendendi: *L. 2. Cod. de Patr. qui liberos. vendid.* quæ  
venditio iterum cum ipsâ servitute jam dum in de-  
svetudinem abiit, illoque casu, si parentibus non est  
unde se & liberos ullo modo exhibere possint, liberi

*Hodie (c)  
in alienat.  
bon. advent.  
liberorum.*

à Magistratu sunt alendi. (γ) Patri quoque competit  
potestas bona advētitia filii, quæ alias alienare prohi-  
betur, *L. 6. §. 2. C. de bonis, quæ lib.* in casu necessitatis  
distrahere, & hac etiam ratione filio nocere. *L. ult. §.  
(d) Demissi-  
one & inju-  
riarum Bræ-  
toria.* *§. dist. tit. Gail. Lib. 2. obs. 12. n. 14.* (δ) non prohibetur in-  
juriam filio illatam, proquâ ipsi competit actio Præ-  
toria, etiam invito filio alteri remittere. *L. 17. §. fin. de  
Inj. & Glos. ad hanc L. quod & ipsum ad jus nocendi eò  
magis*

magis referri potest, quia filius etiam civiliter ad  
multam sibi applicandam agere potuisset.

§. 6.

Turbato mortalitatis ordine, si liberi descendentes non habeant, ad liberorum bona lex civilis parentes admittit: *L. 15. ff. de Inoff. Test. L. 8. si tabul. Test. nullæ ext.* qui necessario hæredes sunt instituendi, legitimaque ipsis relinquenda, nisi eandem inofficiosi querelam experiri velint instituti. *Novell. 115. L. 4. ff. de inoff. Test.* Hoc vero jure civili debito Parentes ex octo causis, *dict. Novel. 115.* contentis, privari posse à liberis Juris tralatitii est. De inde utut Parentes liberis regulariter sancti esse, illosque defendere, non verò ut offendantur causam anfanque præbere debeant *L. 9. de Obseq. Parent. Harp. §. final. de exhered. Lib.* Et quod post tamen eorum Persona non est semper inviolabilis, *sint aliquando occidere.* Nam filius, qui Patrem, ad delendam & oppugnamdam Patriam venientem, occidit, non solum licite agit, sed etiam præmio afficiendus. *L. 35. ff. de Relig. & sumpt. fun.* Nec liberi prohibentur parentibus, vim vitæ ipsorum inferre volentibus, si nullo modo aliàs periculū evitare possint, vi opposita se defendere. *arg. L. 45. ff. ad L. Aquil.* Licentiam verò Patrem occidendi bannitum, aut perduellionis reum, non concedimus liberis. *Harp. Instit. §. 5. de publ. Jud. n. 215.*

§. 7.

Reperitur quoque in jure nostro **JUS NOCENDI** *Jus nocendi*  
**CONJUGUM** sibi invicem. Nam illam legitimam, *conjugum sibi invicem.*  
quam necessariò à liberis Matri esse relinquendam *Dum pater*  
jura præcipiunt, per substitutionem pupillarem Pa- *potest exclu-*  
ter, si velit, adimere potest. Ejusmodi enim substitutio *dere marrem*  
tutus, impubere ante pubertatem mortuo, in omnibus *à legitimæ*  
*ejus filii substitu-*  
*endo.*

D

ejus bonis, non solum iis, quæ tempore substitutionis habuit, sed & quæ postea illi obvenerunt, succedit. *L. 10. §. 5. de Vulg. & Pupil. subst.* etiam si testator adjecerit verba quibus restringi videtur ad bona sua: *Carpz. p. 3. C. 8. Def. 12. n. 6.* adeo, ut excludat omnes ab intestato venientes, etiam Matrē à legitimâ: *L. 3. §. 5. ff. de inof. Test. c. 1. de Testam. in 6.* ob rationē hâc lege adductam, quod hoc testamentum non sit filii, sed Patris; Pater verò matri nihil teneatur relinquere ex bonis filii, etiam de Jure Naturæ. *Struw. Syntag. f. C. exerc. 38. Thef. 2.* Quod de jure etiam in tacitâ pupillari, quæ regulariter vulgariter continetur, *L. 4. de Vulg. subst.* obtinet, ob generalitatem dict. *L. 3. Cod. de inof. Test.* & ob paritatem virtutis expressi & taciti. *L. 1. pr. ff. de leg. 2. L. 2. ff. de pact. Fab. ad Cod. lib. 6. Tit. 8. def. 23. n. 13. 14. Struw. Synt. f. C. dict. l. quavis opinio Zæf. ad Tit. ff. de pupill. & vulg. subst. n. 50. Carpz. P. 3. Const. 8. Def. 2.* matrē ex tacitâ pupillari, ad lucuosam filii hæreditatem, ratione legitimæ esse admittendâ in praxi sit recepta, testante *Fab. ad C. L. 6. T. 8. def. 1.* Si tamen mens testatoris apertè contraria sit, eaq; ex certis argumentis præsumatur, v. g. si substitutus sit persona valde conjuncta, aut Mater certo legato contenta esse iusta, tunc eam ed magis & tacita pupillari excludi nemo dubitat. *Fab. dict. loc. n. 4.* Cum verò hoc jus substituendi pupillariter liberis sit effectus Patriæ potestatis, adeoque patri singulare, quæritur, An, & quomodo Mater sibi consulere queat, si Maritum à successione liberorum impuberum, quoad bona sua, velit excludere? Resp. Hæreditatem cum onere restitutionis relinquere potest liberis in testamento, si impuberes moriantur: non tamen privare eum legitimâ. Tenebitur ergo hæreditatem restituere.

*Etiam tacitâ pupillari substitutione*

tuere, retentâ sibi legitimâ; aliquando & quartâ  
 Trebell. L. 29. qui Test. fac. poss. Carpz. P. 3. Const. 8.  
 Def. 17. Si & quartam illam Patri invideat, detra-  
 ctionem illius prohibere potest. Arg. Nov. 1. C. 2.  
 Zes. ad Scit. Trebell. num. 95. Regulariter quoque  
 Pater usum fructum in bonis adventitiis liberorum  
 habet. L. 1. Cod. de bonis quæ liberis. Excipitur tamen in-  
 ter alios quoque casus, si sub expressâ conditione  
 ad liberos pervenerint, ne pater usum fructum ha-  
 beat, quam conditionem adjicere non solum extra-  
 neis concessum, sed & matri. Novell. 117. C. 1. juncta  
 Aotent. Item. Cod. de bonis. quæ liberis. Struv. Synt. J. C. Exerc.  
 12. Thef. s. n. 66.

§. 8.

Portio sta-  
 rut. regula-  
 rit. non  
 potest adiri.

Sapientimè per Consuetudines vel alia statuta  
 locorum inductum deprehendimus, ut conjux su-  
 perstes ex defuncti bonis certam portionem, quam  
 statutariam vocant, accipiat. Quemadmodum vi-  
 dua nobilis in Pomerania lucratur atque percipit,  
 juxta Tit. 7. §. 14. 15. der Lehns Constitut. (a) Das  
 Gnaden Jahr. (b) die Befierung. (c) die Morgens  
 Gabe. (d) Trauer Kleider. (e) Wagen und Pferde  
 (f) Haus Miethe. (g) das halbe Silber, was im Ge-  
 brauch gewesen. 2c. Maritus verò consequitur porti-  
 onem statutariam, die helffte der Ehe Gelder/ nebst  
 einem stehenden Bette von der Frauen Betten und  
 Bergewand 2c. Et hujusmodi portiones statuta-  
 rias testamento aut voluntate defuncti auferri,  
 vel minui non posse communiter statuunt DD. Secus de Ju-  
 Berlich. P. 3. Concl. 28. quod de Jure Lubecensi est se-  
 cus, quo relicto dimidii bonorum communium, est  
 voluntatis, non necessitatis, ut illa Testamento  
 etiam planè tolli possit. Mev. ad Jus Lubec. P. 2. T. 1.  
 Art. 8.

*De alienati-  
one rerum  
familia relin-  
quarum.*

Omnia alienatio rei, quæ vel sua natura vel voluntate hominis inalienabilis est, est invalida. Hinc illa, de quibus dispositum, ne alienentur, sed in familiâ maneant, veluti *die Majorat-Häuser*/aut fidei commissa familia relicta ab hærede, nunquam possunt alienari, nec usus fructus in iis alii constitui, nec hypothecæ supponi. *L. ult. C. de rebus alien. non alienandis.* Necesitas tamen hanc alienationem in præjudicium agnatorum tendentem facit justam *Brunn. ad ff. L. 69. n. 2. ff. de Legat. 2.* Ejusmodi autem causa necessitatis, defectus alimentorum necessariorum est. *Fab. ad Cod. L. 2. Tit. 12. def. 2. n. 7.* aut si filia dotem non habeat, *L. 22. §. 4. ff. ad Sct. Trebell.* nisi tot fructus acquisiverit, ut possit doti satisfieri. *Brunn. ad d. L. 22. n. 9.*

*Filia non te-  
netur confer-  
re dotem.*

Filiarum dotem collationi subjectam esse, notum est: *tot. tit. de dot. collat.* potest tamen filia, si sibi noxium videat, abstinere hæreditate Patris, hoc effectu, ut non teneatur conferre: *L. ult. ff. dict. tit.* licet exinde lædantur reliqui, modo salvam habeant legitimam. *Struv. Synt. J. C. Exerc. 37. Thes. 42.*

## CAPUT V.

## De Jure nocendi Delinquentibus.

**D**elicta à Magistratu punienda esse, extra omne dubium est. Ast illa consideratio nequam huc pertinet. Sed, an DELIN-  
QVEN-



VENTIBUS propria auctoritate NOCENDI Jus sit, *contra leg. 14. Cod. de Judais* ? Quod affirmamus, prout in quibusdam casibus se exerit. Sic enim famosus latro, & loca insidiosa obsidens, occidi potest impune, etiam ab eo, quem non invadit. *Struv. de Vindict. priv. c. 3.* Quemadmodum quoque quivis in vasor interfici non prohibetur, modo adhibeatur moderamen inculpatæ tutelæ. *Carpz. Pract. Crim. qu. 28.*

*De Interfectione famosi latronis, vel alii invasoris.*

§. 2.

Et quod furem nocturnum interficere permittitur, modo cum clamore id fiat, diurnum vero, si telo se defendat, constat ex *L. 4. ad Leg. Aquil.*

*Furis*

§. 3.

Huc spectat quoque, quod Pater filiam in adultério deprehensam impunè occidat, modo hæc concurrant, ut filiam habeat in potestate: *L. 20. ff. ad L. Jul. de Adult.* ut filia in domo Patris vel generi fuerit deprehensa: ut in continenti fiat, quod etiam fieri videtur, si filiam fugientem post aliquod horarum spatium invenerit. *L. 23. ff. dict. tit. Zaf. ff. dict. tit. n. 11.* Nisi filia fuerit gravida: tunc enim ob favorem ventris, Patri id non licebit. *Harpr. Inst. §. 5. de publicis Judiciis n. 19. & seqq.*

*Filia in adultério deprehensa.*

§. 4.

Marito pariter jura concedunt, uxorem interficere, si vilis persona fuerit adulter, inveniaturque in domo mariti cum uxore. *L. 24. pr. ff. ad L. Jul. Cod. de Adult.* inprimis, si adulter sit servus Domini. *Brunn. ad L. 1 ff. de off. præf.* & deniq; hoc obtinet, si Maritus eum interfecerit, qui suspectus illudere velle castitati uxoris, post tres contestationes scriptas

*Uxoris adultera, & adulteri.*

scriptas, tribus testibus confirmatas, admonitus est, ne cū uxore colloqueretur, & tamen invenitur cum ea sermonem facere. *Zaf. ff. ad L. Jul. de Adult. num. 16.*

*Banniti.*


§. 5.  
Quod Bannitus periculo bonorum & vitæ ita subjiçatur, ut non solum convitiis proscindi, sed etiam bonis spoliari, inò ab omnibus liberè occidi possit, docet *Gail. lib. 2. obs. 6.* Licentia tamen ista occidendi bannitum extra territorium non est extendenda. *Berlich. P. 4. Concl. 6. n. 30.* Sed & transfugam occidere unicuique permillum est: *L. 3. §. ult. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* quia, cū malo consilio & proditoris animo Patriam relinquat, hostis loco habendus est. *Leg. 19. §. 4. ff. de Capt.* adeoque & à Patre aut filio impune illum interfici, *ex L. 35. ff. de religios. & sumpt. funer. asserit Struv. de Vind. priv. C. 3. §. 3.*

§. 6.

Et hæc sunt, quæ de Jure NOCENDI ALIIS brevisimè in chartam conjicere volui. Tuum nunc erit, Benevole Lector, ut ab homine scripta, à quo humanum, errare scilicet, alienum non est, benigne consulas. DEO vero, & æterno, & Sapientissimo, sit laus & gloria & honor in omnem æternitatem.

F I N I S.







Q. D. B. V.  
DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
**JURE NOCENDI  
ALIIS,**

Quam  
Divinâ favente gratiâ  
*Consensu Illustris Fctorum Ordinis*  
SUB PRÆSIDIO  
**DN. HENRICI COCCEJI,**  
JURISCONSULTI SUMMI,  
*AUGUSTI AC POTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ*  
CONSILIARII INTIMI,  
FACULT. JURIDICÆ ORDIN. & ANTECESS. PRIMARIJ,  
AD HUNC ACTUM PRO-DECANI,  
*Mecanatis ac Patroni sui colendi,*

D. Maji 1715. horis ante & pomeridianis,  
Pro  
SUMMIS IN UTROq; JURE HONORIBUS ac PRIVILEGIIS  
CONSEQVENDI,  
Publico Examini submittit

**JOACHIMUS WILHELMUS Söper/**

Stargard. Pom.

Adv. Dicasterii Regij, quod Stargard. est Ordinarius.

FRANCOFURTI ad VIADRUM, Literis J. C. SCHWARTZII.